


LVNÆ DIE 16 M. OCTOBRIS A. 2006

A.d. XVII Kal. Novembres a. MMVI

I 34

# M E L L I S S A



## FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ  
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

REDACTRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://users.skynet.be/Melissalatina>

Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4



AD LECTOREM  
ANTE QVINQVAGINTA ANNOS...

Anno 1956, ineunte mense Septembri, Avennione habitus est « VIVENTIS LINGUÆ LATINÆ CAUSA CONVENTUS UNIVERSUS ». Fieri non potest quin hoc anniversarium celebremus, cum hic conventus initium fuerit Motus Latinitatis Vivæ post alterum bellum mundanum. ¶ Quid intra semisæculum evenit de quatuor maioris momenti propositis huius conventus ? ¶ Primum de pronuntiatu Latino ; tunc suo quæque loquendi modo singulæ nationes vocabula Latina pronuntiabant ; inde fiebat ut homines Latine loquentes inter se vix intellegerent. Hoc propositum optimum habuit exitum ; nam plerique hodierni Latinitatis cultores pronuntiatum restitutum nunc adhibent ; in horotino conventu internationali Academiae Latinitati Fovendæ, exempli gratia, omnes fere oratores pronuntiatum restitutum adhibuerunt. ¶ Secundum propositum spectabat ad grammaticæ epitomam conficiendam, qua homines linguæ Latinæ parum periti de suis investigationibus scientificis Latine referre possent, nisi laute tamen recte. De hac re nihil ad effectum ductum est. ¶ In tertio proposito agebatur de necessariis neologismis fingendis et de novo lexico edendo. Deficientibus subsidiis publicis, fuerunt optima incepta privata. ¶ Quartum propositum erat de methodis docendi renovandis et ad Latinitatem vivam aptandis. Hoc etiam a privatis hominibus optime factum est. ¶ Etsi igitur proposita conventus Avennionensis repulsam publicam tulerunt, tamen multorum privatorum industriam excitaverunt, e quibus nonnullos citabo. ¶ Anno 1957 liberalitate Avennionensis editoris Theodori Aubanel creatum est periodicum « Vita Latina » inscriptum et fere totum Latine conscriptum. Quod diu fuit vinculum inter omnes, qui ad Latinitatem vivam fovendam operam dabant. ¶ Anno 1959 inter secundum conventum Latinitatis vivæ Iohannes Ørberg, Danus, de methodo « Lingua Latina per se explicata » inscripta, quam conficere cœperat, verba primum fecit. Quæ docendi ratio fuit opus totius vitæ et nunc magis magisque adhibetur ad tirones docendos. ¶ Anno 1966 in lucem edita est methodus Assimil, c.t. « Lingua Latina sine molestia », auctore Clemente Desessard. Hoc optimum opus complures editiones habuit atque multos homines ad Latinitatem vivam allexit, inter quos numeror ipse. ¶ Anno 1967 Romæ a Petro Romanelli creata est « Academia Latinitati inter omnes gentes fovendæ », quæ curavit ut universales conventus Latini stato tempore haberentur. ¶ Anno 1973 Dr P. Cælestis Eichenseer cœpit seminaria instituere, ubi docebatur sermonis communicatio. Hæc seminaria æstiva imprimis in Germania habebantur, postea in variis Europæ regionibus. Eorum efficacia tanta erat, ut multi ori-

rentur æmuli. Nunc enim complura seminaria quotannis habentur, etiam in America. ¶ Anno 1976 Christianus Helfer, cathedraticus professor universitatis Saraviensis, Dr P. Cælestis Eichenseer et nonnulli alii « Societatem Latinam » condiderunt, quæ facta est optima officina lexicographica et periodicum « Vox Latina » inscriptum curat edendum. ¶ Anno 1984 creatum est periodicum nostrum « Melissa », sexies in anno editum, quo lectoribus recentiores nuntii de orbe Latino afferuntur. ¶ Anno 1989 primum nuntii Latini a Radiophonia Finnica Generali emissi sunt, curantibus Reijone Pitkäranta et Tuomone Pekkanen. ¶ Anno 1997 in America Septentrionali Professor Terentius Tunberg Latina « Conventicula » in universitate Lexintoniensi instituere cœpit, quæ præcipue destinantur ad magistros linguam Latinam docentes. Idem paucis annis post in sua cathedra magisterium creavit, ubi Latine docetur. ¶ Hic illic sua sponte etiam nati sunt « circuli Latini », quorum participes stato tempore convenire solent ut Latine de variis rebus disputent. Inter primos certe numeratur circulus in Belgica anno 1984 natus et Bruxellis adhuc vigens. ¶ Ergo non desunt effectus conventus Avennionensis, sed fere omnes manent in sphaera privata. Oportet magni momenti causæ Latinitatis vivæ sibi conscii sint eius cultores et fautores ; necesse est vires suas melius ordinent et coniungant, cur non sub vexillo Academiae Latinitati Fovendæ. ❀

Gaius LICOPPE



*Conventus Avennionensis cena valedictoria in Papparum palatio sollemniter celebrata est, præsentibus præfecto departimenti Vallis Clausæ, rectore Academiae Aquarum Sextiarum et delegato magistroque Avennionensi. Photographema in actis divulgatum (p. 43).*

## AD GAIUM DE DEO CAPTO

– scripsit Volfgangus Jenniges –

Volfgangus Jenniges Gaio suo salutem dicit plurimam.

Editoris præfationes, quibus principes Melissæ soles fasciculorum paginas ornare, eximie Gai, maxima diligentia perpendere consuevi atque lectitare. Eius enim præsidis sententiæ, cum ex Melissæ veluti rostris sive præterita iudicant sive quæ nunc sunt dignoscunt sive futura cernunt, ipsius aliquatenus sodalitatis publicæ sententiæ fiant necesse est. Est autem sodalitas nostra perenni Latinitati dicata, neque ignobile sæculum eiusque curas interdum viles et inconsulta desideria et incautos timores sapere eam decet et redolere, neque instabili cuiuslibet et incerto doctrinæ flatu moveri. Quæ sive præiudicatis de variis rebus opinionibus aut quodam scientiæ et doctrinæ defectu solent oboriri. Variis autem de rebus cum opiniones variæ exstare possint eademque legitimæ, nondum eo sum adductus ut de procemiorum tuorum argumentis, etsi nonnumquam dissentiebam, tractarem ipse aut scriberem, præcipue cum de his rebus quæ ad civitatem spectant nostratrem, in qua vivere nobis contingit, inter sessiones circuli nostri Bruxellensis iam pluries sit in utramque partem fuse atque tam humane quam docte a pluribus participibus summa parrhesia summaque libertate disputatum, neque varias esse et multiplices nostrorum participum opiniones negaverit quisquam.

Quæ autem in fasciculo n. 131 « de Deo capto », de rebus religiosis et de rebus quibusdam gestis, disserebas, variis de causis satis probare non possum.

Est enim nostri sæculi non minimum vitium præterita quæ sunt et sibi aliena, non propria, aliena videlicet vel præterita, sed sua metiri velle mensura – quod (cum non agatur de veritatibus divinitus revelatis quæ propter ipsius revelantis auctoritatem per se propriaque sua stant in omne tempus mensura) æquum non est : rerum enim gestarum mentiumque humanarum studioso indagatori princeps est et præcipua lex, ut probe nosti, præterita cum scrutatur et aliena, propriam deponere mentem, proprias leges, propria placita, præteritaque et aliena propriis eorum, ad quos pertinent, quantum potest fieri oculis perscrutari. Aliud magno opere est dolendum vitium, quod humanum non est, cum quis varias a quibus abhorret de rebus religiosis vel politicis vel philosophicis opiniones et persuasiones diiudicat atque perpendit, distinguere non satis, inter ipsum, qui ea placita tenet, hominem, cuiusque persona sunt et anima et conscientia summa reverentia utique et ubique sine odio respicienda, etiamsi absona, absurda atque inhumana videri et esse possunt ea quæ tenet, inter hominem itaque, aiebam, et placita eius atque asserta ipsa, de quibus disputare licet, et dissen-

tire. Ad quod vitium non raro mirum quoddam accedit et terrificum et turpe cuiuslibet religionis rerumque divinarum odium, quod interdum dei instar mirum quantum adeo colitur, sicut nullus est umquam vel a religiosissimo viro deus cultus.

Quod autem ad præfationem tuam ad lectorem : de rebus quibusdam quæ minime inter se cohærent caute distinguendis initium faciam ; deinde de cultu civili nostro Europæo (quem « occidentalem » ego non dico) religioneque christiana pauca dicam, quæ adeo sunt inter se coniuncta, ut dempto nomine christiano cultum nostrum atque humanitatem superesse nequire, immo : in interitum necessario ruere, inter plures (inter quos enumeror et ego) luce clarius constet.

Ad tua iam venio. Primum enim de tribus otiosis adulescentibus narras qui mulierem transeuntem inique obiurgant, deinde, saltu quodammodo, ut mihi videtur, « quantali », ad Muhammadis superstitionem venis et istius prophetæ gryllos qui eius sectæ asseclarum animos per universum orbem vehementer (neque immerito) commoverunt et concitarunt, ad cultus denique nostri civilis historiam te vertis et christianam religionem.

Adulescentes autem otiosi et petulantes, Iuvenali poetæ si credere licet, numquam non defuerunt, neque umquam deficient. Anomia verum indignissima, qua nostra vehementer laborat res publica, eorum maxime auxit qui laborare nolunt audaciam et insolentiam. Ii tamen qui laborare nolunt, non solent per se ad certam gentem aut ad certam religionem pertinere. Omnis generis sunt pigri et omnium gentium fures exstant et latrones. Et potius ad nullam fures et latrones pertinere solent religionem, quippe quæ docere soleat otia esse vitanda et furto atque mendacio vivere turpe esse et vile peccatum. Nam præsidium probitatis solet esse religio et vitiorum repagula. Sunt et quædam religiones, quæ adeo turpem iudicant furem, ut eius manum abscondi iubeant...

Quæstio vero maxime legitima est, cur anomia tanta sit in civitate nostra exorta, ut adulescentibus libere liceat verba in transeuntes proferre obscena atque minacia, neque absonum est asserere non minimam partem causæ esse ipsum a religione christiana publicum defectum, quæ (velimus nolimus) moralem instituerat et in animis singulorum hominum et in re publica ordinem atque rationem, et urbanitatem, et educationem. Et cultum nostrum civilem declive et lubricum et perniciosum iter iniisse, cum ante tria vel quattuor sæcula in occidentali sua parte ab omni sese religione emanciparet, legitima est opinio.

Mulier autem elegans, quam describis, quæque infeliciter tribus obviam fit perditis huius generis adu-

lescentibus, perspicax anthropologa videtur esse : « Mauros » enim statim agnovit, qui fortasse de gryllis (de quibus enim postea dicitur) stomachabantur et proh dolor nondum in propinqua Domo Erasmiana præclaris renatarum litterarum scriptoribus studuerant ut sese suis ab angustiis liberarent. Deo autem suo eiusque absurdis legibus cum non iam crediderint (sic enim pergitur), res in melius statim mutabitur : ambulabunt enim cum puellis et nulla iam eis in buccam veniet vox obscena...

Mirabilis est talis rerum maxime diversarum conflatio atque commixtio, sed meo iudicio hoc reapse gravissimum est et periculosissimum, religiosas quæstiones cum quæstione sociali commiscere. Iuvenes otiosi, etiamsi Mauri sunt, et anomia qua civitas nostra laborat, et ordinis publici et institutionis et urbanitatis defectus ad quæstionem pertinent socialem, ad res politicas, ad turbidum nimiam libertatis studium, quod, ut probe scis, ex quadraginta fere annis apud plerosque in orbe occidentali miserrime invaluit, omniumque fere animos et mentes pervasit, et omnem exinde in re publica subvertit ordinem ; nullus autem est per se cum religione, islamica vel alia, connexus, nisi quod qui talem colunt anomiam nulli prorsus adscribi solent religioni, christianumque præcipue nomen quam vehementissime oppugnare.

Similiter in Gallia, cum modo tumultus facti sunt in suburbiis (postea et in studiorum universitatibus), nulla profecto islamicae religionis causa – raro enim religiosi sunt iuvenes, qui tumultuentur, furentur, urant, bibant et ludant –, sed paupertatis et reiectionis et derelictionis causa sunt in primis exorti. Id autem facile accidit, et maxime consentaneum est, ut speciem, sed speciem tantum, religionis postea sibi adsumat tumultus : nobilior enim videtur ira, si non paupertatis, non proprii lucri vel commodi, non repudiationis vel repulsæ causa, sed Dei gratia videtur exoriri sollemni religionis veste induta. Neque sine causa iræ istorum nonnumquam exortæ : sunt enim in Gallia, ut audivimus, societatum quæstuosarum præpositi, qui, cum sit inter « Ahmadum » et « Paulum » eligendum quibus munus credatur, ceteris etiam paribus, sine discrimine Ahmadum recusant et Paulum eligunt, etiamsi melius (quod fieri potest, et interdum fit) curriculum habeat Ahmadus ; quod profecto ferendum non est.

Deficit ergo multis in adiunctis civitas nostra, deficit res publica, deficit adulescentium institutio et disciplina, deficit familiarum compages, deficit civium custodia, deficiunt societates mercatorum ; sed non desunt qui locum vacuum expleant : sunt enim sodalitates islamicae (wahhabiticae sectæ placitis nefastis proh

dolor infectæ), quæ in suburbiis nostris iuvenes sibi exquirunt, eisque doctrinam et religionem (suam videlicet proh dolor !), hoc est : vitæ honeste agenda fundamentum, et munera præbent honesta, atque hoc modo dignitatem quandam eis, repulsis indignis alibi negatam, restituunt. Non mirum quod postea reapse religiosi fiunt iidemque interdum effrenati. « Quæ quis seminat, ea et metet ».

Caveamus igitur ne maximo nobis damno causam et consequentia commisceamus ; caveamus ne religionis et gentis contemptu – qui, singulos si respicimus homines, iure numquam fit, etiam si displicet religio neque arridet cultus civilis –, maius et verum religiosum in nos et cultum civilem nostrum gignamus odium. Sed quod ad hæc, iam sero est. Huius enim odii causæ et aliæ sunt, sæculares fere, et multo maioris momenti : ad gryllos venio.

« Inexpectatam » dicis rei amplificationem fuisse ; immo : fuit exspectatissima ! eademque maxime consentanea, quamquam, ut patet, ultra modum est et absurdissime aucta. Cur autem ? Guttulæ enim simile est hoc eventum quæ effecit ut vas, multis iam guttis repletum, tandem aliquando redundaret, neque hæc Arabum aliorumque « frustratio », quam dixeras, ad religionem islamica tantum et gryllos est referenda, cum et christiani Arabes similibus angustiis afficiantur, et omnis orbis, quocum sumus, et erimus, per historiam nostram et religionem et cultum civilem et propinquitatem et necessitates œconomicas quam maxime coniuncti, quemque Medii Orientis denominatione complectimur, eadem labore condicione : guttæ enim iniquissimæ in Medio Oriente iam ex annis 1917-1920 et 1948 et 1967-1973 et 1991 et ultimum 2003 indefesse et constanter in Arabum vasa cadunt, neque ulla iustitia, neque ulla spes, neque ulla est istis populis rerum futurarum exspectatio, ut potius mirandum sit cur tanta segnitie tam diu exspectaverint. Neque mirandum eos populos, ad fatum non raro procliviores, in effrenato tandem religionis studio, quin etiam in trochocrazia ultimam forsitan spem posuisse. Quod autem cur tanta formidine his annis creverit studium considerandum est : et adiuncta historica et politica, quæ heic dixi, sunt in hoc maximopere respicienda. « Quæ quis seminat, ea et metet ».

Sed in primis, ad gryllos ut veniam, de nonnullorum regentium nefaria stultitia non satis mirandum est : quid enim de isto Danorum administro publico cogitandum cum undecim oratores iure sibi adscriptos recipere recusat ? Inauditum prorsus et inurbanissimum, idemque stultissimum, legatos legitimis aliarum nationum de qualibet re publica inquirentes vel etiam

stomachantes accipere et audire nolle – nonne est hoc in more institutoque rerum publicarum gerendarum positum : oratores etsi molestos audire ? nonne simplicissimum fuisset urbanitatis causa eos vel brevissime accipere eis que definite aperire libertatem dicendi secundum leges nostras cohiberi non posse ?

De « libertate preli » profecto neque satis mirandum est, de qua dicis « talem » esse qui nunc sit « cultus occidentalis ». Quæ cum sint ita, valde doleo quod ad talem cultum occidentalem equidem non pertineo ; non enim ego tali faveo libertati, quæ certis rationibus cohiberi nequeat. Neque adsentior « ius offendendi » atque « irridendi religionem » exstare posse, immo : exstare debere. Hoc profecto cum personarum respectu atque humanitate congruere nequaquam potest, et potius summa est barbaries vocanda, cum singulorum hominum religio (licet absona videatur), sicut et sermo patrius, et gens, et historia, et cultus civilis, ad intimam personarum pertineat proprietatem et dignitatem et singularitatem, quæ sunt, etsi displiceant, etsi forsitan non semper sint et a re publica fovenda, et recipienda, in singulis tamen hominibus, et verbo et scripto, summa prorsus reverentia summaque religione respicienda atque honoranda. Hæc si quis negat, periculum est ex ipsa ne decidat humanitate, et ipsis effrenatis islamice superstitionis sit fautoribus adnumerandus et æquiperandus, qui hoc ipsum et ipsi negant.

Referri video cultum civilem Græcorum et Romanorum et Hellenismi dicendi libertatem in multa sæcula extinctam tempore renatarum litterarum mirum in modum revixisse. Equidem talium fabularum minime credulus sum. Etenim maior est quam putatur inter mediam quam vocamus ætatem et renatarum artium et litterarum tempora consensus atque convenientia. Numquam, dico, mortuus est, numquam plane submersus, numquam silentio vel oblivione obrutus Græcorum et Romanorum cultus civilis. Quid enim et quo modo « resurgere » potuisset, nisi esset in monasteriis et scholis et ædibus per totam quam mediam vocamus ætatem, nostram scilicet occidentalem, sed et Byzantium et Orientalium, per turbida interdum sæcula sedulo adservatum, religiosissime cultum, diligentissime traditum ? nisi inde ab initio esset ad studiorum utilitatem destinatum ? « Ex nihilo nihil fit » ; minime igitur sine media ætate, et nostra, et Græca, et Orientali (quæ uno sunt conspectu semper consideranda), in qua vera gloria est et fundamentum nostri cultus civilis, cum antiqua tempora complectatur christiana luce illustrata, numquam, inquam, renatæ illæ fieri potuissent litteræ, quæ sunt huic fundamento ex Oriente et Occidente mirabiliter comparato splendidissi-

me superpositæ. Et turbida tempora cum dicamus, quæ tempora fuerunt sæculis XVI et XVII turbidiora, cum, effrenata quadam « cogitandi et dicendi libertate » miserabiliter invecta, immania bella totam Europam, quæ ad occidentem vergit, per sæculum fere dilacerarunt ?

Omnino abhorret a veritate historica, omnem christianam religionem ethnicorum cultum civilem et litteras « funditus exstinguere » voluisse quidem, neque potuisse. Immo religio christiana, et orientalis et occidentalis, ethnicorum cultum et litteras ad verum finem perduxit, ab erroribus purgavit, in usum humaniorem, christianum videlicet, adsumpsit, nobiliori forma ditavit, ad divinum fastigium evexit.

Ne plura. Equidem Antonio Baccio, doctissimo viro et Latinissimo, adsentior, qui anno 1954 edixit hæc (et quæ de lingua Latina ille dixit, et de catholica, quæ illo tempore fuit et viguit, Ecclesia, de cultu nostro civili generatim dici et debent) :

*« [...] Catholica Ecclesia, ut iis omnibus patet, qui præjudicatis opinionibus non moventur, Latinæ linguæ fortunam nullo non tempore sustinuit, auxit, propagavit ; cumque eam linguam veluti sibi propriam tribuerit, videtur aliquid eidem impertuisse perennitatis suæ.*

*Non defuere quidem, nec desunt, qui effutiant almæ hujus Urbis sermonem, qui quidquid pulchrum venustumque Græcia pepererat, ad ampliorem evexerat celsitudinem ; qui per Vergilium, per Horatium, per Ciceronem, per Livium aliosque non paucos ad summum humaniorum litterarum verticem pervenerat ; qui optimarum artium denique splendores ediderat, quos hodie quoque exculsi homines, quicumque sunt, non admirari non possunt, post invectam christianam religionem, quæ divina potius quam humana amplecteretur, quasi mortali vulnere accepto, pedetemptim misereque decidisse.*

*Attamen eum per devexum declinasse iter alia prorsus de causa certum omnino est. Romanorum enim imperium, quod innumeros populos immensasque regiones, ab Indis oris ad ultimam usque Thulem, subjecerat, quasi nimia atque onerosa amplitudine sua laborabat ; pæne infinitæ, quæ undique affluebant, divitiæ, privatos publicosque mores corruperant ; civilem libertatem, quæ litterarum bonarumque artium est alitrix, Roma amiserat, cum in unius dominatum cessisset ; ac postremo barbaræ gentes, quibus erant 'truces et cærulei oculi, rutilæ comæ, magna corpora et tantum ad impetum valida', e septemtrionibus, quasi flumen exundans secum omnia rapiens omniaque vastans, formidolose irruerunt.*

*Ut igitur humanæ res omnes mortales sunt, atque aliæ post alias oriuntur, succrescunt, deinde vero remittunt, decidunt ac dilabuntur ; ita pari modo de almæ*

*hujus Urbis origine, fortuna imperio sermoneque evenire necesse erat. Ac forsitan si christiana religio, quæ prodigiali quodam modo omnes fere terrarum orbis partes pervaserat, ad Tiberis oras non appulisset, ibique suam sedem, innumerorum martyrum purpuratam sanguine ac magisterio falli nescio ditatam, non posuisset, forsitan, dicimus, quod de Assyriorum, de Chaldæorum, de Ægyptiorum imperio et lingua contigerat, id de Latii quoque sermone civilique cultu evenisset. Everso enim Romano imperio, ejusque profligatis dispersisque legionibus, quænam vis poterat tot irruentibus populis valida repagula opponere? quænam vis poterat almam hanc Urbem a tæterrimo naufragio servare incolumem? quænam denique auctoritas novis hisce gentibus, horridis loquentibus linguis, communem poterat donare sermonem, easque effrenis cupidinibus inter se dissociatas et odio simultateque frementes, amico fraternoque fœdere componere?*

*Procul dubio quod superbum Romæ nomen non obtinuerat, quod ejus gloriæ memoriæque, quæ immortales videbantur, quod ejus litterarum disciplinarumque cultus exquisitissimus ejusque imperatorius sermo efficere non valuerant, mirabilis illa vis potuit, inermis quidem, sed omnia vincens, omnia exsuperans omniaque alliciens, quæ christiana caritas dicitur. Vetus quidem nomen caritas; sed nova prorsus res, quam solummodo religio nostra peperit hominibusque suasit. Ex ea atque in universum ex doctrina a Iesu Christo divinitus patefacta, nova Civitas ortum habuit: christiana nempe Romanaque Civitas. Eam utique turbulentissima, quæ consecuta sunt, sæcula præpedire contenderunt; eam infuscarunt hæreses, dilacerarunt schismata. Nec defuerunt Principes, qui, effreni dominatus cupidissimi, in ejus sanctissima jura iterum iterumque invaderent. Verum tamen difficultates, errores, omneque genus discrimina – quod historia docet – Ecclesia eluctata est; ex ea quidquid verum, quidquid justum, quidquid pulchrum est, nostra hæc ætas quasi hereditate accepit.*

*Quanam vero lingua ad mirandum ejusmodi efficiendum opus ea usa sit, omnes profecto nostis; quo sermone tot copulaverit populos, eosque non modo ad religionem sanctissimam, sed ad civilem etiam cultum advocaverit, vobis omnino notum est: Latina lingua apud eam semper in honore fuit; aptissimumque præbuit sermonem, quo divina veritas innumeris gentibus illucesceret.*

*Primis religionis nostræ sæculis, cum christianum nomen sævissime impugnaretur, Apologetæ nervosa ac numerosa hac lingua conflarunt arma, quibus Dei humanæque libertatis jura fortiter strenueque defenderent; cum vero inflati sua doctrina homines, insurgentibus, aliis ex aliis, erroribus, candidam Ecclesiæ vestem*

*maculare vel discindere enisi sunt, tum hoc eodem ii sunt sermone usi, qui sancti Patres Doctoresque dicuntur; et catholicæ religionis præcepta explanare, illustrare ac tueri sollemne habuere. Quodsi eorum lingua ob flexum temporum, quæ res humanas commutando, alias amittunt perditas, alias vero, undique collectas, sibi proprias assumunt, jam non prisca ea verborum integritate viget, non perspicuo ac presso nitore fulget, non recto modulatoque ordine evolvitur, quo Ciceroniana instruitur oratio, aliquid tamen attingit, quod elegantissimi scriptores veteres ignorabant prorsus; aliquid dicimus, quod menti nostræ infinitas divinæ naturæ immensitates ostendit, et quod unum potest animi nostri, ad immortalia nati, explere desideria. Procul dubio – ut uno tantum utamur exemplo – in Augustini scriptis est aliquid quam in Tullianis libris amplius, verius, humanius. Si in ethnorum operibus imaginum sententiarumque venustas, lepores, veneres, vehementer nostras delectant atque alliciunt mentes, philosophia tamen vel aberrat per errorum anfractus, vel difficulter laborioseque in veritatem nititur, quam plenam tamen assequi nequaquam potest. Quamobrem in legendis eorum paginis noster non omnino conquiescit animus, sed aliquid experitur caducum et fluxum, quod quidem anxietudinem suam, ad infinitam veritatem infinitamque pulchritudinem annitentem, allevare ac pacare non potest. [...]*

*Tunc in monachorum cænobiis solummodo liberales artes ac disciplinæ, quasi immanis naufragii reliquiæ, adsiduo studio excolebantur; atque antiqua pulcherrimæ litterarum monumenta diligenter adservata, descripta, ac pictis colorum luminibus exornata, posteritati quasi sacra hereditate demandabantur. [...]*

*Cum vero turbidis ferreæ ætatis transactis sæculis, humana philosophia, divinitus patefactæ lucis fulgoribus collustrata, ex tanta rerum oblivione serenam frontem iterum erexit, tum etiam Latinus adfuit sermo, validissimum quidem ad pervestigandam veritatem instrumentum. Hic sermo procul dubio, philosophorum Scholasticorum tempore, non Tullii, non Vergilii, non Livii lingua fuit; sed videbatur potius – etiamsi Latinis vocibus constaret, præcipuisque grammaticæ obtemperaret normis – vulgares popularesque sapere et quasi redolere dialectos, cum ad earum indolem instructus esset. Veruntamen hoc flexile ac facile eloquium, a quibusvis rhetorum cincinnis et calamistris liberum, cum magis mentis sententiæ adbæreret, ac pressius artiusque ratiocinandi ambitum persequeretur, non unam neque medietatem attulit ad subtiles pervestigandas quæstiones utilitatem; atque nostra etiam ætate, ad hanc rem quod attinet, multo aptior profecto videtur, quam optima latinitas, quæ ‘classica’ nuncupatur.*

*Ad quam quidem latinitatem optimam ut redeamus, cum, vergente ad exitum media ætate, ii scriptores, qui ab humanitate nomen acceperunt, Latinas litteras renovarent, ederentque scripta Augusto sæculo non indigna, tunc etiam Ecclesia adfuit faultrix et auspex; atque per plura sæcula in historie paginis nomina fulgent – ut Pomponii Læti, Petri Bembi, Jacobi Sadoleti, Hieronymi Fracastorii, Antonii Mureti, Hieronymi Vidæ, Marii Nizolii, Jacobi Facciolati, Aegidii Forcellini, Stephani Morcelli aliorumque – quæ oblivione numquam obruentur. [...]*

Ex « Oratione de Ecclesia Latinitatis faultrice » : Antonii Bacci ab epistulis Pont. Max. ad Principes, *Varia Latinitatis scripta II : Inscriptiones Orationes Epistulæ* (Editio tertia), Romæ 1955, p. 307-311.

Ad aliud nunc transeo.

« Hellenismi » quoque « libertatem cogitandi » cultus nostri margaritam dicis, in multa sæcula absconditam. Verum enimvero Græcorum ista imago efficta res est sæculorum præcipue XVIII et XIX, quibus isti « Græci » fabulosi sunt a viris doctis, a philosophis non raro a christiana religione magnopere abhorrentibus, ad suam suorumque placitorum et portentorum imaginem et similitudinem creati. Verum « Græci » isti, tam generatim a religione « liberati » et « democratia » fruentes, cuius fundamentum fuerit sacra ista libertas dicendi et cogitandi, reapse non exstiterunt neque exstant. Est hæc mythologia « laica », quam vocamus, contra plenam istam et legibus humanis absolutam sæculorum XVII et XVIII regiam dominationem a philosophis excogitata, quæ tamen nullo nititur in historia fundamento et a veritate magnopere aberrat.

Primum quia, cum « Græcos » dicunt, Athenienses tantum sunt dicendi, non ceteri Græci ;

deinde quia, cum « democratiam » dicunt et sacram istam « parrhesiam », inter illos Athenienses tantum viri considerandi sunt civitate gaudentes ; mulieres enim earumque « liberationem » spreverunt non aliter ac non pauci Arabes mulieres spernunt ; et advenas et alienigenas eorumque iura non aliter oppresserunt ac nonnulli nostrates advenas timent et spernunt ; de servis autem tacere præstat ;

denique quia, cum de religione est sermo, in unaquaque civitate, etiam Athenis aureo illo sæculo, optimi quique, et nobis posteris laudandi et imitandi, non sophistæ fuerunt et sunt, non athei philosophi ab omni religione abhorrentes et liberati, neque demagogi loquendi sua et mentiendi libertate plebem adulantes, sed religiosissimi semper viri fuerunt et sunt ; pii fuerunt et admodum religiosi viri Æschylus, et Sophocles, et Xenophon, et Socrates, et Plato, et

Aristoteles, et Plutarchus, et Pausanias, qui cum altero post Christum natum sæculo Athenas inviseret, miratus comperit (quod iam Paulus Apostolus sæculo superiore viderat) tam religione constrictos esse Athenienses (I,17,I. I,24,3).

Hagiographis itaque istius « Græciæ antiquæ libere cogitantis » (quæ res est, ut dixi, non ipsorum in universonum Græcorum, sed philosophorum sæculi XVIII et XIX commentum) magnopere est diffidendum ; neque sunt Athenienses sæculi V, quod « classicum » dicitur et « aureum », eorumque res publica, quæ et sophistas et atheos et democratias genuit, istius (et nostræ) « illuminationis » miseros auctores, ultra modum laudibus extollendi.

Neque erubescendum est hac re, cum id genus Athenienses eorumque rem publicam « illuminatam » et « liberam » non multum laudaverint ipsorum Atheniensium et optimi et electissimi, qui non raro sunt aut in exilium missi, aut in exilium aufugerunt ipsi ; unus etiam, neque minimus eorum, et eorum religiosissimus, est a strenuis istis libertatis dicendi et cogitandi faultrix (qui, ut eorum neoterici discipuli « ius offendendi » quod sibi tribuunt aliis negant) publice necatus et iniquo iudicio affectus. Nemo profecto videtur, ut aiunt, propheta in patria sua ! Quare minime mirum quod optimi quique illorum Atheniensium, quos et ego sequi malo, non ipsas Athenas, sed Spartam magis coluerunt (nonnulli et prænobitem Persidem !) aut novas prorsus res publicas in aliis regionibus longinquis, veluti in Sicilia, condere studuerunt.

Lacedæmonios ego quoque colui, qui de eorum dialecto abhinc viginti annos dissertationem conscripsi – nam « hellenista » imprimis ego sum, non « latinista » – ; sed multo pluris quam antiquos Græcos equidem eorum nepotes æstimandos censeo Byzantios, quippe qui intellexerint, sicut antea iam divus Plato intellexerat, veram hominis libertatem et finem et felicitatem non in ficta quadam autonomia sibi arrepta (nam homo aliquando morietur : et ubi tunc famosa eius est autonomia ? ad nihilum iterum reducitur, in Orcum delabitur cum aliis mortalium monstris et portentis), sed in theonomia esse ponendam ; ubi, ut cum Seneca nostro dicam, « deo servire libertas » est.

Intellexerunt enim Byzantii, sicut iam intellexerat Seneca, intellexerat et Socrates : Dei qui deponit timorem, ei homines timere fore necesse. Hæc profecto non intellexit Eduardus Gibbon, qui tam magnifice, tam splendide, quam inique et iniuste de Romano imperio, et præcipue de Byzantiis, scripsit et iudicavit.

De Byzantiorum ultimis sæculis pulcherrimus exstat liber a viro docto Donaldio Nicol Anglo conscrip-



tus ; ultimam illius libri paginam, quæ de fine imperii agit, aliquando animi causa verti Latine ; his verbis aptissime edicitur in quo vera sit et æterna, neque ab ullo philosopho vel rerum scriptore ficta, Græcorum virtus et Hellenismi gloria ponenda :

« *Mente fingere iuvat quid evenire potuisset si Byzantium imperium, præ illis quæ prædixerant nonnulli eorum vates, ultra sextum perdurasset mille annorum spatium, quod eorum computatione anno 1492 finem erat habiturum. Etenim Byzantium imperium ultimum fuit christiani orbis imperium quod ortum est, quod floruit et quod finem habuit ante Columbi ætatem. Dirutum est Byzantium ante novæ ætatis ortum inventio- num et machinarum, occidit antequam hominum mentes ad novas aperirentur cognitiones. Byzantium rerum scriptores, philosophi atque theologi ultimi omnium fuerunt quibus cogitata et sententias manu tantum scriptis tradere licuit. Si licuisset illis sedem typographicam Græcam Constantinopoli constituere, emptores non defuissent qui libenter sibi liberaliterque compararent literarum probatarum editiones quarum thesauros decursu sæculorum servaverant Byzantii. Alia tamen ex parte fatendum erit Byzantios veri similiter non multum lætatos fuisse neque magnam illius viæ partem fuisse capturos quam iam iam inibat occidentalis orbis. Nam sæculo XV vergente inter omnes iam constabat Byzantios neque occidentalium mores laturos, neque sine eorum auxilio superfuturos. Maluerint plerique Byzantii suam sibi rem agere soli, quam fidem et fortunam perdere. Maluerint infidelium moribus succumbere (quos, etsi iniucundos, iam norint), potius quam implorata alienorum Christianorum misericordia mortis suæ protrahere dolores, eorum scilicet misericordia qui numquam intellexerant quid sibi voluisset esse Romanum.*

Byzantium animus ad inevitabile fatum proclivior erat magisque submissus. In dies magis eis erat persuasum, in dies magis intellexerant non ad Christi usque reditum orbem suum mansurum, imperium suum ne pallidum quidem esse regni cælorum speculum, verum unum tantum esse stabilem, unum esse tutum, unum felicem esse locum, regnum scilicet cælorum quod hanc longe superat lacrimarum vallem. Itaque anno 1453, cum instaret finis, præsto erant. Mirum quod finis non antea evenit. Neque adeo infelix finem tum, cum evenit, evenisse. »<sup>1</sup>

Donald Nicol, *The Last Centuries of Byzantium 1261-1453*, Londinii a. 1972 editum.

Sed cum Erasmo nostro concludam, qui rei nostræ tam bonum præbet exemplum.

Iuvabat enim hæc tibi exscribere verba, quæ de

Erasmo celeberrimus vir Conradus Busken Huet (1826-1886), Bataviæ ex Calvinianis theologus et rerum scriptor et litterarum studiosus, anno 1882 conscripsit. Est autem Busken Huet illis scriptoribus adnumerandus, qui, cum sæculo XIX floruerint, a plerisque nostratibus non iam leguntur, quamquam non raro lectu sunt adhuc dignissimi. Eius autem viri verba mense Augusto anni 2004, nisi me fallit memoria, ad Gregem, cui eramus per aliquod tempus et nos adscripti, Latine Loquentium miseram, qui est, ut omnino nosti, in rete universali constitutus, cum prudens voluisset et mite et eximium et humanum Erasmi nostri proponere exemplum, qui « mirabili animi contentione extrema vitare » semper sit enisus. Haud enim dissimilis Erasmi est et nostra ætas, qua (ut non pauci inique postulant) « omnibus est vehementer in omni re factio eligenda, neque licere videtur probum esse civem, nisi aut candidum prorsus placuerit aut nigrum, nisi rei prorsus aut favisse, aut funditus ab ea abhorruisse sit visum » :

« *Omnibus viris non mediocri ingenio præditis, qui parentibus orbi huic vitæ exponuntur, orbis noster durus est magister ; durissimus autem eorum ingenio est, quibus, cum delicatioris sunt indolis, res adversæ quæ aliorum animos lustrant et roborant, tamquam grandinis evadunt in arva procella. Hoc quidem Erasmo proprium est, ea, quæ puer acerba et ardua erat diu perpessus, ei festivum non sustulisse animum, quamquam patientiam eius magnopere exercuerunt. Qua ætate quum omnibus esset vehementer in omni re factio eligenda, neque licere videretur probum esse civem, nisi aut candidum prorsus placuerit aut nigrum, nisi rei prorsus aut favisse, aut funditus ab ea abhorruisse sit visum, ille, mirabili animi contentione, extrema vitare, atque orbem alloquens orbi valuit resistere. Lutherani utique Romanum eum esse vituperarunt, plus quam sublutheranum Romani. Humaniorum litterarum cultores a sese defecisse quem theologi propter humanitatis studium libere sentientem esse clamitarunt. Philologus quidam in Ciceronianos eum carpsit invehentem ; cum ei esset gloriæ tales Latine litteras dedisse, quales in Europa nemo post Ciceronem scribere valeret. Pontifex quidam Novum ab eo editum sibi suscepit dicatum Testamentum, cum Pontifici favens Cæsar ab Inquisitionis famulis eiusdem libri colligi iuberet et aduri exempla. Sunt ex eius æqualibus et popularibus vivi adusti, quod sententias aperuerant, quas et ipse tenuit ; ipse autem ab omni potius sententia recessisset, quam unum ex suis æqualibus igni tradidisset. Natus in Batavia, simul civis erat reapse mundanus. Plebe ortus, neque plebem, neque cives, neque nobiles oderat. Fidus Ecclesiæ catholicæ filius, eiusdem præpositos lacessere*

*numquam desiit. Ab indoctis abhorrebat monachis, qui ipse Augustinianus fuerat; Lutheranos autem protestantes minime censebat humanitati profuturos. Regia cinctos corona amicos inter numerabat, sed trigemina ornatos vituperare interdum non dubitavit. Sapientissimus forsitan fuit ætatis suæ vir, at memoriæ prodiit stultitiæ laudator.»<sup>2</sup>*

Conrad Busken Huet, *Het Land van Rembrand: Studiën over de Noordnederlandsche beschaving in de zeventiende eeuw* (Haarlem 1882; 1946, achtste druk), pars prima, cap. 4-XV, p. 150-151.

Quam humanissime valeas!

Dabam Bruxellis, postridie Idus Apriles a.S. 2006. ❧

---

1. Anglica verba: « One may wonder what might have happened if Byzantium had belied the predictions of some of its own prophets and survived beyond the end of the sixth millennium, which, by the Byzantine method of reckoning, was to occur in the year 1492. For the Byzantine Empire was the last Christian civilization which had its beginning, its middle and its end in the pre-Columbian era. It died before the dawning of the new age of discovery and technology, before the widening of men's horizons. Its historians, philosophers and theologians were the last of their kind who had to transmit their thoughts and ideas in manuscript alone. If they had been spared to set up a Greek printing-press at Constantinople they would have found a ready and profitable market for editions of the treasures of classical literature that they had preserved through the centuries. But in other respects the Byzantines would probably not much have enjoyed or participated in the new developments in the western world. By the fifteenth century it had been amply proved that they could neither stomach their dislike of the westerners nor survive without their help. Most of them would prefer to go it alone than to sacrifice their faith as well as their fortune. They would rather submit to infidels whose ways, though unpleasant, were familiar, than prolong their agonies by soliciting the charity of foreign Christians who had never understood what it meant to be a Roman. There was a streak of fatalism in the Byzantine mentality. They had sensed, with growing conviction, that their world would not after all endure until the Second Coming; that their Empire was something less than a pale reflexion of the Kingdom of Heaven; and that the only permanence, the only security, and the only happiness were to be found in the true Kingdom above and beyond this vale of tears. When the end came in 1453 they were ready for it. It is surprising that it had not come sooner. It is perhaps as well that it came when it did. »

2. Verba ipsius scriptoris: « Voor alle mannen met buitengewone gaven, die als vondelingen in het leven geworpen worden, is de wereld eene harde leerschool; het hardst voor mannen met een vrouwelijken aard, op wier genie de tegenspoeden, welke andere karakters louteren of sterken, de werking van een hagelslag op een korenveld doen. Het hangt samen met het bijzondere in Erasmus dat de teleurstellingen zij-

ner lange leerjaren niet in staat zijn geweest zijn humeur te bederven, al prikkelden zij in hooge mate zijn ongeduld. In eene eeuw toen alle menschen in alle dingen met heftigheid partij kozen, en men geen goed burger scheen te kunnen zijn zoo men niet of wit of zwart, vierkant vóór of vierkant tegen was, wist hij met ongeëvenaarde geestkracht zich voor uitersten te hoeden en, gelijk hij tot een werelddeel het woord richtte, een werelddeel te staan. De lutheranen hebben hem verweten onverbeterlijk roomsch, de roomschen meer dan een halve lutheraan te zijn. Humanisten hebben hem gehavend als een afvallige, en theologen wegens zijn humanisme hem uitgemeekt voor een libertijn. Een filoloog heeft hem gescholden wegens zijn berispen eener ciceroniaansche latiniteit; en zijn roem was latijnsche brieven te kunnen schrijven, zoo fraai als sedert Cicero iemand in Europa gedaan had. Een paus aanvaardde de opdracht van zijn Nieuw-Testament, en een pausgezind keizer liet door dienaren der Inquisitie de exemplaren ophalen en vernietigen. Tijd- en landgenooten van hem zijn levend verbrand wegens het voorstaan van meeningen die ook de zijne waren; en hijzelf zou al zijne meeningen verloochend hebben, liever dan één zijner medemenschen op het schavot te brengen. Geboren Nederlander, was hij tegelijk een geboren cosmopoliet. Voortgekomen uit het volk, haatte hij noch het volk, noch de burgers, noch de edelen. Gehoorzaam zoon der katholieke kerk, was hij onvermoeid in het plagen harer bestuurders. Onkundige monniken waren het schrikbeeld van den gewezen augustijner; doch hij vond de luthersche hagedredikers geen aanwinst voor de beschaving. Gekroonde hoofden vereerden hem met hunne vriendschap; toch ontsnapten zelfs de dragers eener driedubbele niet altijd aan zijne critiek. Hij was misschien de wijste man van zijn tijd, en zou blijven leven als type van den lofredenaar der dwaasheid. »

## IN TARTARIAM (III)

- scripsit Francisca Deraedt -



Guillelmum de Rubruc præterita occasione reliquimus cum in eo esset, ut de potione « cosmos » nominata narraret. Cosmos est lac equinum, cuius præparatio est satis intricata, imprimis quia equæ se non facile sinunt mulgeri ; itaque homines funem extendunt, ad quem equulos alligant ; tum matres ad pullos veniunt et se sic pacificas præbent ; si quæ tamen non facile tractatur, pullo aliquantulum sugere permittunt, eundemque subito retrahunt ut ipsi opus perficiant. Lac sic perceptum in utrem infundunt, quem baculo vehementer concutiunt, usque dum fiat fermentatio. Potus est paratus cum est « temperate pungitivus », id est cum spumat tamquam vinum Campanense. Cosmos enim « pungit super linguam sicut vinum raspei' dum bibitur, et postquam homo cessat bibere, relinquit saporem super linguam lactis amygdalini, et multum reddit interiora hominis iucunda, et etiam inebriat debilia capita ; multum etiam provocat urinam. »<sup>2</sup>

Æstate, cum eis est illius cosmos magna copia, Tartari nullo alio cibo egent. Itaque si accidit ut bos, vel equus, vel asinus ex armentis eorum moriatur, carnes siccant sine sale, quas paucis mensibus post sunt comesuri. Nec quicquam perditur : nam de eorum intestinis botulos conficiunt, quos frater Guillelmus, vocabulo pæne Francogallico, « andulges » vocat, quosque dicit esse « meliores quam de porcis ». Edunt etiam mures varii generis, at tamen numquam eos, qui longam habent caudam, aliaque parva animalia, sicut cuniculos aut glires, qui, cum in aliquibus foveis vicini tricenive congregati totam hiemem dormiant, facile capiuntur. Venantur insuper, falconibusque ad hoc utuntur.

Iam paulo plura scimus de Tartarorum domibus et victu, ecce nunc eorum comptus capillorum. Quem

describens monachus noster melius fecisset, si delineavisset, ambagibusque pepercisset. Simplicius dicere conemur, quam ipse fecit : Tartari caput ita radunt ut supra frontem maneat manipulus capillorum, qui usque ad supercilia descendunt, atque ut in occipite etiam relinquuntur capilli, quos torquent et ducunt usque ad aures. Comptus autem mulierum in eo solum differt a virorum comptu, quod capillorum manipulos habent longiores. Postridie tamen nuptiarum mulieres calvariam radunt a medio capite usque ad frontem.

Trahit sua quemque notio pulchritudinis, et sua regina regi placet. Tartaræ « sunt mulieres miræ pinguedinis. Et quæ minus habet de naso, illa pulchrior reputatur. Deturpant etiam se turpiter pingendo facies suas. »

Præterea feminæ tunicam gerunt « latam sicut cucullam monialis », quam ligant ad dextrum corporis latus, nam, hoc oportet memoriæ mandes, lector, si quando iter tibi in illas longinquas periculosasque regiones erit faciendum, « in hoc differunt Tartari a Turcis, quod Turci ligant tunicas suas ad sinistram, Tartari semper ad dextram ». Guillelmus postea longe lateque describit earum rotundum petasum, virgula pennisque ornatum, qui eis in equitando præbet aspectum militis galeam lanceamque gerentis.

Viragines enim videri possunt potius quam teneræ feminæ. Quod est feminæ officium ? Inter alia : parere. At ne hoc quidem ita faciunt, sicut aliæ pleræque, saltem apud nos : nam « numquam cubant in lecto pro puerperio ». Præterea bigas ducunt, domos in eis ponunt deque eis deponunt, vaccas mulgent, butyrum faciunt, pelles parant et consuunt, suunt etiam calceos aliasque vestes. Unam rem non faciunt, quam ceteræ curant ubique terrarum, etsi minus sæpe sæculo tertio decimo quam nostris temporibus : vestimentorum dico lavationem. « Vestes numquam lavant, quia dicunt quod Deus tunc irascitur, et quod fiant tonitrua si suspendantur ad siccandum ; immo lavantes verberant. » Tonitrum autem supra modum timent.

Tartari miros habent mores matrimoniales. Primo, omnis uxor emitur. Inde fit ut nonnullæ non ita mature inveniunt maritum, parentibus melius pretium semper exspectantibus. Deinde, si consanguinitatem primi secundique gradus respiciunt, affinitatem contra flocci non faciunt, atque sæpe accidit ut unus vir uxores habeat duas sorores. Viduæ solæ manent nec possunt maritum iterum invenire, nam illi homines putant rationes humanas post mortem servari, id est viduas post mortem ad primum maritum redire. Solis filiis licet patris viduas in matrimonium ducere, excepta quidem matre, cum eas accipiant sustentandas, neque

putent offensionem fore, si illæ post mortem redibunt ad patrem.

Ipsæ nuptiæ etiam dignæ sunt, quæ narrentur. Pretio constituto, pater puellæ invitat ad convivium. Usque adhuc nihil miri, nisi quod sponsa interea aufugit seque alicubi occultat. Pater tum dicit hæc : « Ecce filia mea tua est, accipe eam ubicumque inveneris. » Ludus postea pertinet ad puellam inveniendam : vir quocumque currit, eam amicis adiuvantibus quærit, invenit, capit, domum ducit, eoque iucundior est illa deductio, quo violentior.

Mortuos tumulis sepeliunt, aut, si divites sunt, pyramidibus, cum amplis thesauris, qui mos monacho nostro videtur absurdus.

Tales ergo homines sibi omnino novos Guillelmus de Rubruc mense Iulio a. 1253 mirans adgreditur : « Quando ergo ingressi sumus inter istos barbaros, visum fuit mihi, ut dixi superius, quod ingrederer aliud sæculum. »<sup>3</sup> Primus occursum facilis non est : Tartari eos cogunt sub bigis considerare ibique diu expectare. Hæc est prima in tota narratione occasio, qua monachus sensus proprios exprimit, cum de barbarorum impudentia loquatur.

Incohatur interrogatio satis molesta : unde veniunt viatores ? Quo eunt ? Ad quem finem ? Estne eorum primum iter in eas regiones ? Veniuntne sua sponte, an ab aliquo missi ? Estne aurum in bigis ? Habentne cibaria ? Monachus vinum nonnullaque crustula dat. At illi, « potata una lagæna vini, petiverunt aliam, dicentes quod homo non ingreditur domum uno pede. » Guillelmus alteram dat, inopiam excusans monachalem. Dum iterum diu expectant licentiam iter pergendi, barbari circumstantes omnia inspicunt, omnia tangunt, omnia habere volunt : panem, cultellos, digitabula, corrigias, crumenas... Monachus respondet hæc omnia esse itineris instrumenta necessaria. « Tunc dicebant quod essem baratator. »<sup>4</sup>

Putares illum parvum monachum sævos ignotosque homines, quorum crudelitas est in omnium ore, horre-re ; non est ita. Eos reverenter alloquitur, ut decet extraneum cui aliquid est rogandum, at non timide. Non tam feritatem notat, quam superbiam et ingrati- am : « Verum est quod nihil auferunt vi, sed importune valde et impudenter petunt quod vident, et si dat eis homo perdit, quia sunt ingrati. Reputant enim se dominos mundi, et videtur eis quod nihil debeat eis negari ab aliquo... »

Tandem, post longas expectationes multasque molestias, proficiscendi datur licentia. Iter quidem difficile. Per duos enim menses viatores nullam vident domum, ne semel quidem sub tecto pernoctant, sed

sive sub divo sive sub bigis suis, nullum conspiciunt ædificium nisi – funestum spectaculum – Comanorum sepulcra.

Aliquo tamen die obviam eunt principi Scatatay, qui cum tota familia migrat, cum armentis, equis, bigis domibus onustis, « et videbatur mihi quod obviaret mihi civitas magna ». Iterum sunt dona danda, explanationes præbendæ, pergendi licentia petenda. Iterum dona Tartaris non videntur esse satis lauta, satis multa, satis aurea. Nec colloquium facile fit, adiuvante interprete « qui nullius erat ingenii nec alicuius eloquentiæ ». Tamen monachus a principe interrogatus enodare conatur, quid sit fides Christiana. Quomodo Scatatay symbolum fidei ab incallido interprete explicatum intellexerit, nemo umquam sciet ; ipse autem, re audita, « tacuit et movit caput ».

Alii mox venturi sunt, qui, quamquam se Christianos profitentur, de Christiana religione tamen vix quicquam sciunt, nonnullique etiam, qui baptisma sponte sua petent, at postea sententiam facile mutabunt. Guillelmi de Rubruc neque peregrinationes, neque pericula adhuc sunt finita. ❀

(continuabitur)

1. *Raspeum* nusquam inveni, sed apud Cangium invenitur « raspetum : vinum recentatum, Gallis raspé » (C. du Fresne Sieur du Cange, *Glossarium mediæ et infimæ Latinitatis*, Parisiis, 1883, impressio anastatica Arnaldo Forni Editore, 1981, VII, p. 20). *Recentatum* autem (*ibid.* VII, p. 40) est vinum conditum et mixtum. *Raspé* est vetus vocabulum Francogallicum, quo designabatur vinum in dolio una cum vinacea servatum ; apud pauperes aqua in dolium infundebatur quotienscumque aliquid vini depromebatur ; unde locutio « boire sur le raspé », i.e. non esse fastidiosum, parvo contentum esse.

2. *Simica Franciscana*, Vol. 1, *Itinera et relationes Fratrum Minorum sæculi XII et XIV*, ed. A. Van den Wyngært, Firenze, Quaracchi, 1929, p. 178 sqq.

3. *Op. cit.* p. 187 sqq.

4. *Baratator* : deceptor. Cf. C. du Fresne Sieur du Cange, *Op. cit.*, I p. 566 : « baratatare, fallere, decipere ». Hoc vocabulum, quod iucunde sonat, referendum est ad Francogallicum *baratin*.

# QVOMODO SINT TIRONES LATINA LINGVA IMBVENDI ?

– scripsit Stephanus Berard –



**H**ac in symbola non singula tractabuntur pædagogicæ sed explorabuntur potius principia aliquot generalia ad ipsam institutionis Latinæ naturam et formam attinentia.

Qui ævi litterarum renatarum non solum ipsa lumina – velut Petrarcham, Poggionem, Erasmmum, More – sed etiam scriptores minores parumque notos legit non potest quin horum Latinitatem emendatam æquabilemque admiretur. Licet conspiciatur interdum usus paulo dubius, tamen aut litterarum scrutatio attentior exemplum antiquum detegit aut scriptor in hoc vel secum vel cum æqualibus tam consentaneus videri solet ut amoveatur saltem solœcismi suspicio. Etiam ipsa orthographia quæ nobis sæpe prava videtur (*cælum* pro *cælum*, *inficior* pro *infitor*, etc.), etsi sane haud « classica » vocanda, ab illius ævi scriptoribus ita tamen convenienter observatur ut temporis sui scholæve suæ normis sat fideliter obtemperavisse videatur quisque.

Nos quidem Latine loquentes tam integræ Latinitatis præcipua causa minime latet. Enimvero hodie etiam præceptoribus Latine (adhuc) mutis pædagogicæ Latinæ historia innotescit. Apud situm facultatis Studiorum Classicorum Vniversitatis Ludivicopolitanæ Missurianæ, sub titulo « Pædagogica », a Claudio Pavur scriptum videtur hoc (quod Latine verti ipse) :

*Quonam elemento methodologico erant præditi ævi litterarum renatarum pædagogi quo nos nunc egemus ? Indicium omnium utilissimum, ut mihi quidem videtur, inveniri potest in illa institutionis Latinæ brevi adumbratione historica quæ in fine suppedatur illius libri Georgii Ganss titulo inscripti St. Ignatius's Idea of a*

*Jesuit University.<sup>1</sup> Ibi enim ostendit auctor methodos mediævales et ævi litterarum renatarum eo nostras superavisse quod ætatibus illis abundabant « usus exercitatioque recordationem præsentaneam parientes ». <sup>2</sup> Novis discipulis Ciceronis Liviive opera classica non prius tradebantur quam hi « usum singulorum memoria inter se coniungendorum ita confirmassent ut ipsi tandem omnia sponte recordari valerent ». <sup>3</sup> Quo effecto, longe facilius fiebat aditus ad talia scripta classica, quæ discipuli invicem iam tantidem quanti æquum erat æstimare poterant neque ea pro solis facultatis interpretatoriæ provocationibus habebant. <sup>4</sup>*

Cum autem in brevis tractatus illius maxima parte de modis agatur quibus discipuli per solas exercitationes scholares « recordationem præsentaneam » necnon potentiam « grammaticæ singulorum memoria inter se coniungendorum » excolere possint cumque in eiusdem facultatis classicæ cetero situ Interretiali præbeantur, præter scripta legenda idonea, exercitationes utiles quidem sed solum tales quales absque sermone Latino vivo fieri possint, in ultimis tamen tribus capitibus Claudius id demum, quamvis cautissime, tangit quod multis Latine loquentibus claro clarius appareat :

*Nec videtur mihi utopicum proponere ut concinnentur libri elementarii qui discipulos adiuvent ut longe plura et legant et a se proferant quam hoc tempore plerisque in cursuum Latinorum seriebus versantes alumni. Multas locutiones breves simplicesque in scholis adhibentes finem nostrum assequemur, adiecto forsitan elemento aliquo quod linguæ peritiam magnopere augeat : usu scilicet linguæ Latinæ ut ipsius institutionis instrumento. Quem in usum etsi pauci nostrum iam præcipitare volumus, hæc optio tamen prorsus exploranda est si discipulis veram linguæ peritiam impertire cogitamus. <sup>5</sup>*

Hunc protuli locum quia aptum præbet exemplum boni sagacisque linguæ Latinæ præceptoris qui disciplinæ Latinæ præsentia mala remediaque non potest non videre simul autem, ob hoc, se contra magna agmina stare videt collegarum hic suspiciosorum, hic indignantium, hic curiosorum, hic dubitantium, hic palam infestorum. Immo, omissis tantisper ipsis hominibus, tota disciplina Latina præsens ita conformata est ut Claudii consilium, quamvis utile prudensque, utique prohibeatur ; nam postulat « mos maiorum » recens (qui mos scilicet, ut nunc compertum habemus, haudquaquam priscus est) ut discipuli ita per compendia et imperfecte parentur ut tantummodo et quam primum quædam scripta classica legere, immo potius laboriose enodare atque in vernaculum sermonem vertere valeant.

Tam tristis condicionis causas historicas indagare

longum sit neque huius symbolæ proposito, præsentis doctrinæ Latinæ correctioni, magnopere serviat. Satis est dicere hæc tria : primum, linguarum modernarum pædagogos iam pridem rescivisse linguam quæ non modo naturali, activo, necessario discatur, primis tantum labris tangi nec penitus – ut nunc iure atque apte dicitur – « appropriari » posse ; deinde, nobis Latine loquentibus iam patere, per facultatem Latine loquendi et audiendi, legendi quoque peritiam multis partibus augeri ; postremo, intra studiorum humanorum campum studiis classicis tamen, proh dolor, locum iam multo minorem atque ideo temporis spatium multo brevius quam præteritis ævis tribui, quamobrem, inter alia, discipulis sermonis Latini adhuc plerumque impotibus opera magna difficiliaque ita intempestive obtrudi ut horum scriptorum pæne omnia astuta, subtilia, notatu digna – ne quid dicam de verborum usu tumultuarie paratis haud dum aperto – non ab ipsis deprehendantur sed potius aut præbeantur per commentarios aut ministrentur a magistris... qui invicem ipsi eodem modo secundario atque ab ipso sermone Latino magna ex parte semoto sunt eruditi.

Rerum scholarium status cum sit tam adversus, sunt Latinitatis vivæ perennisque fautores qui necessitati hoc tempore urgenti magis minusve parendum censeant : in primis mediisque cursibus colloquiola Latina ita tantum verecunde inserenda ut progressui rapido ad Ciceronem, Catullum, Virgilium iam necessario faciendo nullum inferatur impedimentum, immo, eandem ob causam, ipsos sermones Latinos, si liceat, tempori subsicivo esse relegandos ; peritioribus qui mente aliquando penitus conceperint quam sint parum idoneæ methodi « tralaticia » conventicula Latina esse petenda collegasque inveniendos rerum novandarum consilia consociantes, quibuscum posse illos linguæ peritiam, ob pædagogiam mancā adhuc deficientem, per exercitationem tandem aliquando adipisci ; vel optimo in casu magistralem gradum apud illud Institutum Studiorum Latinorum esse consecrandum. « Tales fere per gradus », dicat aliquis moderationis aureæque mediocritatis suasor, « iam succedunt nonnulli, etsi adhuc nimis pauci. In annos tamen plures pluresque erunt magistri qui peritiam aliquam tali modo suppletivo consuerint quique ideo, quamvis haud sæpe tam profluentem loquentes quam linguarum modernarum præceptores, cum discipulis tamen Latine colloqui aliquatenus poterunt. Namque sane fatendum est et conventicula adhuc paucissima esse neque usquam, extra forsā illam Aloisii nostri Montanellam adolescentibus præcipue dicatam, exstat copia vere diu et ‘immersivo’ modo discendi, scilicet die nocteque

minimum unum per annum nulla prorsus lingua nisi Latina utendi. Quoniam autem raro, si umquam, de nugis cottidianis, velut ludis harpasticis benzivive pretio, Latine loquendum erit Latinistis doctisque Latino sermone utentibus volubilitate omnino plena opus non fuerit. Gradus pædagogici modo depicti – institutioni Latinæ plus minusve ‘tralaticia’ inserta colloquii Latini elementa quæcumque necnon conventicula æstiva aliquot dies septimanasve durantia, addito sane litterarum electronicarum Latinarum commerciolo – conducent tandem ad studia Latina sensim renovanda atque forsā, aliquot post hominum ætates, iam dudum defunctis nobis, linguæ Latinæ usum etiam latiore qui nunc fingi nequit. »

Quæ omnia haud scio an, deo favente, ita eventura sint ut modo descripta. Mihi autem, utpote linguarum imprimis modernarum professori, putativi amici moderati nostri dicta multis de causis absona videntur. Scio enim, quod scit et linguæ modernæ magister quivis, copiam linguæ immersive discendæ – seu in sessionibus scholaribus seu peregre et continenter – duo æque magna præbere : profluentiam loquendi et, altera ex parte, id quod Anglice nominatur *ownership*, vel Latine « linguæ possessionem ». Hoc est, etiamsi ei qui post undecimum fere vitæ suæ annum linguam quampiam omnino suam vel « patriam » facere nequeunt, linguam peregrinam nihilominus sibi « appropriare » possunt eo modo quo adulti satis magno impenso labore hoc facere solent. His hominibus videtur sermo secundus, etsi non patrius, quodammodo tamen « proprius ». Cum lingua secunda volubiler loqui scribereque valeant, auctoris cuiuspiam arbitrium in verborum usu animadversum non solum bene intellegere sed etiam scite æstimare habent, nam sæpe vel adeo cottidie similia eademve iudicia facere ipsi assuefacti sunt. Accedit quod, cum linguam secundam suam tam bene calleant, multo citius, eoque plura, legunt... quo fit ut etiam magis augeantur eis peritia, discrimen, acumen.

Quibus notis, istam opinionem de nugis cottidianis sermocinari non omnino operæ pretium esse quod tales sermones ad scripta Latina excutienda parum conferant haud consentaneam esse patet. Vt binorum enim conventiculorum Latinorum annuorum moderator, sessiones excursionisque sæpissime duco in quibus, secundum morem conventiculorum, de rebus cottidianis, etiam modernissimis, disceptatur. Quod facientes participes non solum in verborum usu et enuntiatio atque syntaxi se exercitant sed etiam, id quod tantum est, linguam Latinam « suam faciunt », neque quicquam interest utrum singula dicta vocabulave ita usurpata in munus philologicum recta verti possint necne. Quid,

rogo, hac ex parte talia in conventiculis facimus, illinc autem disciplinæ Latinæ academicæ rationem integram, holisticam, modernam demum instituere neglegimus? Aut lingua Latina re vera « approprianda » est discentibus, aut non est... neque, ut verum dicam, ullum contra rationem appropriativam video argumentum firmum. De vocabulis ad res modernas denominandas nemo qui Latine iam loquitur valde sollicitari potest, nam iam pridem Vaticani, nuperius Savaripontani, Lexintoniani aliique maximam nobis iam paraverunt abundantiam. Ei porro qui de rebus modernis colloquentes operam tempusque dissipare censent ecquid putent et linguæ Theodiscæ discipulum quempiam vel Ioanni Vulfgano von Goethe aliquando se omnino dedicaturum de autocinetis aliisque rebus poetæ illi ignotis loquentem operam perdere? Si quis hoc putet, hic plane sit aut principiorum pædagogicæ linguisticæ modernæ prorsus ignarus aut – quod haud scio an peius sit – hæc temere iniusteque fastidiat... sicut, væ nobis, complures, ut videtur, philologi classici huius ævi.

Quod doctrinæ Latinæ præsens conformatio indolesque prava, perversa, ab ipsis pædagogis prope penitus eversa nobis maximo impedimento est nullo modo nego, neque infitias eo studia Latina non ante renovari posse quam plerique Latinitatem perennem vivamque nunc spermentes aut sententiam mutant aut rude donentur. Immo iam dudum studia Latina sive classica tales homines magna ex parte (sed non solum) alliciunt quales, proh dolor, nullo nisi patrio sermone loqui perdiscere velint qualesque in veram linguæ peritiam mentem longe minus intendant quam in nova, plerumque subtilia, sæpe obscurissima argumenta indaganda quibus divulgatis possint auctoritatem apud academicos firmare, munus illustrius nancisci et ita porro. Priusquam fiant res penitus novæ, paulisper erit sane expectandum, sed nobis in præsentis rerum statu infausto tantopere acquiescendum esse quantum nonnulli suadent dubito, scilicet ex causis quas nunc paucis exponere temptabo.

Illo libro Ørbergiano qui titulo inscribitur *Lingua Latina per se illustrata* anno scholari modo præterito in sessionibus Latinis primum utens multo magis quam antea conabar cœtibus Latinis moderari eodem fere modo quo vel Theodiscis meis, additis subsidiis a memet ipso paratis linguarum modernarum apparatus institutorio persimilibus ad vitam nostram modernam attinentibus. Ad summam, plures quam antea umquam in cursu altiores retinui; plus studii, ardoris, delectationis animadverti quam videre soleo. Ex discipulis iam post primum studii Latini annum conventiculum (sc. Vasintoniense) participaverunt duo; tertia, quæ itineris

Australiani consilium iam pridem ceperat, valde doluit se conventiculo interesse nequire, se saltem venturi anni Commorationibus Seattlensibus (hoc est, singulorum dierum conventiculis) interfore adseveravit. Si plures magistri eo modo docebunt Latine quo collegarum saltem peritiores sollertioresque Theodisce, Hispanice, Francogallice, Italice, talem eos quoque experturos esse exitum confido. Fateor nos, upote qui sæpius in colloquia necnon in res modernas mentem intendissemus quam in cœtibus Latinis fieri assolet, quattuor ultima capitula Ørbergiana ante anni scholaris finem pæne intacta reliquisse. Ea autem elementa quæ didicerunt ita intimius profundiusque didicisse eos, ita linguæ rudimenta sibi « appropriavisse » contendo ut, meo iudicio, prætermissa comprehensis quam maxime præponderarentur.

Enimvero – id quod disciplinæ mediævalis et Renascentiæ signum, immo, gloriam fuisse iam vidimus – institutio Latina magis naturalis et appropriativa, etsi ad extremum efficacior, paulo lentius discentes ducat ad litterarum opera maxima. Secundo doctrinæ Latinæ anno, cum linguas modernas discentibus æmulantes, nullum nisi Latinum in sessionibus usurpantes sermonem discipuli rem grammaticam fusius cognoscant, artem Latine scribendi cottidie colant, breviora scripta cum facilia tum difficiliora interdum etiam sat difficilia legant, de cultu civili Romano antiquo multa atque de aliorum ævorum Latinitate nonnulla discant.

Cum autem, secundum academiarum baccalaurearum postbaccalaurearumque rationem nunc divulgatissimam, ipsa linguæ Latinæ scientia per se nihil valeat tantumque eo alicuius pretii habeatur quod ad opera classica tractanda usurpatur, discipuli in primo studiorum suorum anno per grammaticæ Latinæ rudimenta raptim agitantur, adhibitis sæpe libris institutorii aridis insipidisve, dummodo celeritati prosint, ut secundo iam anno linguæ Latinæ indolis, saporis, argutiarum adhuc maxima ex parte expertes magna aggrediantur opera non tantum elegantia subtiliaque sed etiam ea quæ sine cuiusdam animi cultusque civilis a nostratibus peralieni experientia vix intellegi possint. His additur quod plerisque qui Occidentalis Europæ linguis loquuntur amplius apparatus inflectionalis sermoni nostro aspectum paulo exoticum tribuere videtur. Non sane tantum dilatanda esse rudimenta Latina quantum vel Iaponica suadeo, nam lingua Latina nullo modo tam aliena est a nobis quam Iaponica; sed boni magistri sit huius quoque difficultatis superadditæ rationem reddere, vel paulo longiore ob hoc concessio temporis spatium. Quod plane hoc tempore minime fit. Quid igitur

mirum est si propter disciplinam Latinam nunc vigentem plerique linguam nostram difficillimam esse ducunt? Quid mirum quod methodi « tralaticiae » iam dictae, rectius posteriores praeposteraeque nominandae, studia Latina usque ad praesentem miserum modum gradumque deminuerunt?

Igitur auctor sum ut easdem fere methodos in cœtibus Latinis adhibeamus quas linguarum modernarum praepceptores in suis. Quod si fiet, omnino fieri potest ut medio vel adeo integro anno tardetur operum classicorum immutatorum tractatio, perquam autem peritiores in talia scripta tandem incumbentes, citius intelligentiusque legent atque, ut iam Latine loquentes, cum scriptorum classicorum sermone quodammodo reciproce agere sive « interagere » poterunt. Paucioresque – tibi, docte lector, confirmo promittoque – studium Latinum pro nimis arduo molestove relinquunt. In parva regione sexaginta milium incolarum et apud exiguum collegium populare duorum fere milium discipulorum ad primum quemque cursum Latinum nomina tamen dare solent, media habita ratione, XXXIII homines. Cur tam multi? Non solum quia, in terra mea saltem, variis sane ex causis, Latinitas his annis pluribus, etiam administris, arridere videtur, sed etiam – id quod ab ipsis discipulis certior factus dico – quia in cursuum Latinorum descriptione exstare apud nos Latine loquendi copiam legitur.

In primo huius incepti gradu difficile quidem esse possit eis qui vel annum bienniumve modo naturali et appropriativo didicerint in aliam academiam transferri; nam, quamvis sint hi tralaticie doctis ipsius linguae Latinae iam peritiores, aut opera pro necessariis habita nondum legerint aut non sint, omissis omnibus aliis, ad haec sola legenda instructi. Ei autem qui in cursuum appropriativorum serie manserint non solum longe copiosiore integrioreque fruuntur Latinitate sed etiam opera illa magna, ut dumtaxat paulo recentius, ita tamen expeditius perspicaciusque evolverint. Cui adseverationi firmamento videtur esse exemplum iuvenis cuiusdam feminæ mihi bene notæ quæ, quamvis in cursibus sat tralaticis Latine didicisset, per triennium Commorationes Seattlenses sedit, studiose, effuse participavit; apud tria Conventicula Vasintoniensia duoque Lexintoniana eadem usa est industria; summis demum viribus baccalaureo studio Latine loquendi facultatem ita addere plerumque contendit ut vivo modo didicisse sibi saltem videretur. Hæc, a studiorum classicorum facultate magna illustrius ad studia doctoralia exercenda tandem accepta, iam primo in studiorum postbaccalaureorum anno animadvertit se commilitonibus, etiam provectoribus annosioribusque, citius

volubiliusque Latine legere valere. Quo manifestum fit – quia illa mox praepceptrix fiet, decennio forsitan et profestrix peritissima suos alumnos, magistros professorisque futuros, doctura – intra solam unam hominum ætatem, vel tricennium unum, studiorum classicorum indolem constitutionemque admodum novari posse, nam fortuna, ut ita dicam, favebit peritioribus. Immo, id quod dixit quondam praesidens Americanus quidam, « Rei prospere gestæ nil suscenseri potest ».

Nunc, ut plura in pauca redigam, imprimis nitendum est ut quam plurimi magistri modo quam vivissimo, modernissimo, « appropriativissimo » Latine doceant, praesertim in scholis superioribus minoribusque academiis baccalaureis in quibus magistri inter se consentiunt et discipuli quaternos annos permanere possint. Quod ut fiat, plurima ediscere debemus a linguarum modernarum praepceptoribus, utpote qui nobis imitanda permulta cottidie atque ex consuetudine peragant. ❧

1. George Ganss, S.J., « A Historical Sketch of the Teaching of Latin », Appendix I in *St. Ignatius's Idea of a Jesuit University* (Milvaucia, Visconsinia: The Marquette University Press, altera editio, 1956), pag. 218-258.

2. Ibid., pag. 222.

3. Ibid., pag. 225.

4. <http://www.slu.edu/colleges/AS/languages/classical/latin/tchmat/pedagogy/ulp-ea.html> : auctore Claudio Pavur, Universitas Ludovicopolitana, Missuria, CFA. Primum compositum m. Septembri anni 1996. Iterum divulgatum, paucis immutatis, apud *Electronic Antiquity* 4:2 (m. Aprili, 1998).

5. Ibid.



## DE INDIGENIS CHILIENSIBVS

- scripsit Paulus Kangiser -

Omnes Aborigines Americani, ita ut ex hoc nomine comperitur, ante Europæorum adventum Americam incoluerunt ; quod ad Americam Meridionalem pertinet, Hispani et Lusitani sæculo XVI inter potentissimas nationes numerabantur, Muslimis a Regibus Catholicis e pænisula Iberica expulsis, qui septem sæcula vitam ibi degerant.

Hispani diuturna Muslimorum pugna strenui facti erant et virtute ac armorum exercitatione in America reperienda atque expugnanda usi sunt ; sese quoque ad culturam, humanitatem patriamque suam augendam prædestinatos putabant nec dubitabant se optimos atque incolis indigenis sapientiores potentioresque iudicare ; inde fiebat ut duarum gentium collisione gravia crudelitatis exemplaria orirentur ; etsi hæc omnia non multum a consuetudine tunc ubique vigenti differunt, tamen minime sunt validiora quam ut de crimine crudelitatis utraque pars purgari possit ; inde oritur nostris diebus disceptatio utrum cum indigenis olim actum sit iuste necne ; ad hoc iuvat breviter ad historiam parumper respicere.

## RERUM SUMMATUM AMERICANI ADIPISCUNTUR.

Regnis Americanis ab Hispania disiunctis - id a bellis Napoleonicis indirecte evenit - non pauci indigenæ in novis moribus plerumque commixti cum advenis iam versabantur ; Hispani autem novam rem publicam cultumque civilem condiderunt ; multæ tribus in districtos fines a Chiliensibus postea reductæ et, ut dictum est, maxime cum Europæorum progenie commixtæ hybridæ<sup>1</sup> genuerunt permultos ; fiebat quoque ut Aborigines alii aliam sortem tangerent, neque omnes suam culturam et historiam verbis traditam, quam ab atavis acceperant, amiserunt, sed fines suos nonnumquam servarunt.

Inter indigenarum tribus, quæ usque ab eo tempore etiam nunc supersunt, præstantissimum locum obtinent Araucani, qui sua lingua sese vocant Mapuche ;<sup>2</sup> itaque cum Hispani ex Chilia anno 1826 tandem disceserunt, ager Araucanus, ubi Maputsii adhuc habitabant et suo more vivebant, adeo latus erat, ut ad Oceani Pacifici litus pertineret ; tamen per maris oram angustam semitam sponte reliquerunt, ne in partem Meridionalem Chiliensibus transitus omnino interrumpetur ; hoc « iter colonicum » nuncupabatur et qui terrestres ire cupirent id unum habebant.

## ARAUCANI DICUNTUR PACATI.

Anno 1879 Chilienses cum duobus finitimis populis, scilicet Peruviano et Boliviano, bellum gesserunt ; quo bello confecto, eundem exercitum, qui usque ad

Limam, urbem Peruviae caput, perductus erat, in regionem Araucanam miserunt eo consilio, ut ager illorum pacaretur ; Araucanos enim ab omni progressu abesse, nec commercio neque negotiis interesse plerique Iacobopolitani, qui urbem nempe caput incolebant, tunc affirmabant ; præterea eo tempore e rebus technicis multa prospera evenerunt : ferrivia ad meridionalem partem, magnis obstaculis superatis, perducta est, vel fluminis Malleco<sup>3</sup> angustiae altissimo ponte coniunctæ sunt ; inde multæ serratrinx, moletrinx amplaque arva præsertim frumentaria nec non pecuaria passim in dies oriebantur, divitiæ a labore ortæ operosos colonos sequebantur ; porro magna pecuniæ erat vis, quæ ex nitrariis in Chiliæ parte septentrionali positis proveniebat.

Araucani his omnibus rebus, quæ prosperæ multis erant, minime interfuerunt sed potius hostiliter se gerebant ; si obstare intendebant, Chilienses facile eos depellebant ; auctoritates igitur administrativæ agrorum dominium paulatim constituebant pro civibus, qui in regione Araucana domicilium constituerent rebusque agrariis et pecuariis operam darent ; itaque indigenæ Maputsii ab hoc magno progressu nationali affuerunt, qui tamen progressus ab Iacobopolitanis magno opere et studio laudabatur, quippe qui se patriam eo modo augere et colere existimabant.

Quamquam Chilienses pauci, quod indigenæ in contractos agros communes reducerentur, frustra queiebantur, tamen Araucani prosperitatem, qua reliqui cives eo tempore fruebantur, non viderunt et in proxima oppida vel in urbem Iacobopolim migrare inceperunt ; ibi labores infimos suscipiebant ; erant quidem Chilienses, qui in paupertate quoque versarentur, nam divitiæ non omnibus sufficiebant.

## INDIGENÆ REVIVISCUNT.

His ultimis decenniis culturæ atavicæ a multis bonæ voluntatis Americanis Septentrionalibus denuo existimantur præsertim Canadensibus, qui, ut mihi videtur, sese quodammodo putant responsales quod Aborigines Septentrionales paucis exceptis deleti sint ; de hoc interitu cinematographi nos certiores nonnumquam fecerunt.

In America vero Meridionali gentium commixtio magis quam interitus facta est, neque tamen factiones vindicatrici desunt, quin per totam Americam præsertim Meridionalem doceant Aborigines in suum pristinum statum reponere, omnemque agrum qui olim fuit eis reddere, culturas atavicas denuo vigere oportere.

Hæc omnia nisi magno tumultu eversionibusque multis fieri non possunt ; at indigenis impossibilis spes datur ut summatu populari gaudeant, autonomiam

exerceant, utque indigenæ Americæ Meridionalis velut in natione coalescant.

Hæc postulata partim iusta et rationabilia partim disputabilia putari possunt ; sed certum est historiam rescribi et refici non posse ; num Russi Vistulam, quam ante primum bellum mundanum habuerunt, recuperare possint ? Num Alsatiæ Germani ? Num Borussia agrum et potentatum suum ? Possunt quidem, dum irruamus in bellum.

Ad rem Chiliensem redeo. Araucani mores suos servare vel mutare cum velint possunt ; sed ab egestate, in qua multi vivunt, ut exeant Status curare debet : auxilium igitur pro reliquis egenis æquo modo ferendum est ; præterea, notum est aliquos Araucanos munere vel publico vel privato feliciter fungi, etiam in parlamento nationali interesse vel forum agere scilicet iudices creatos esse.

#### QUID IMPRÆSENTIARUM ?

Indigenarum progenies nunc plerumque educatione, salubritate tectoque apto caret, neque in rebus publicis regulariter intersunt. Pecuniam a nemine creditam accipiunt propterea quod agri dominium eis non privatum sed commune conceditur, et idcirco quod hypothecis uti non possunt, apud creditores auctoritate carent. Modus autem vivendi a maioribus quasi hereditate acceptus ad vitam hodiernam non facile aptatur, neque in technologiam ob id ipsum incumbunt ; hæc autem omnia non obstant quin res publica pro civibus tales det condiciones, ut omnis vir aut mulier sive indigena sive aliunde orta, rationem vivendi, quam suis moribus et voluntatibus accommodatam putet, libere eligat, et quamvis pecunia publica semper egenis præbenda sit tamen Maputsii sive Araucani se non satis accepisse putant ; re vera, qui pecuniam ab re publica gratis accipiunt, augendam plerumque esse cupiunt.

Ex his rebus fit ut indigenæ in vera egestate plerique vivant adeo, ut factiones politicæ facile ad suam utilitatem eos alluciant ; etiam ex nationibus, ubi cura de indigenis maxime viget, in Chiliam veniunt eo certo vel dubio consilio ut vitæ condiciones in meliorem statum reddantur.

#### CONCLUSIO.

Cura de indigenis Chiliensibus nostrorum concivium quidem est ; nobis sunt instrumenta legibus data ad eos, qui minus habent, adiuvandos ; plerique Maputsii in his, qui auxilio egent, numerandi sunt, item alii vel Aimaræ vel Atacamenni, qui pauci supersunt.

Sed est agendum prudenter ne ii, qui discessionem cupiunt, facile consilium de re capiant, nam sunt qui verba et proposita politica intra nationem adhibita vel etiam internationalibus præconiis provulgata secuti, Constitutioni Politicæ Chiliensi Aborigines populos conscribere intendant ; sub nomine vero populi apud ius internationale quædam autonomia significari dicitur.

Indigenæ a politicis adducti in spem veniunt tempora adversa superatum iri dum populi Constitutioni inserti agnoscantur ; sed est falsa spes, nam, quod pro indigenis opus est, id agi potest sine Constitutionis reformatione ; immo conflictus, qui nemini proderunt, ista via haud dubie orientur ; proderunt forsitan eis qui inceptum politicum mente sumpserunt et cupiunt omnia suo more ac voluntate fieri, sed nullo pacto permissum habeatur violenter agere, nemora comburere, ædes delere, homines lædere, ut interdum perpauci Araucani conantur et perpetrant.

Incolæ plerique in hac terra Chiliensi sicut fere omnes Araucani atque reliqui Aborigines et pacem amant et controversias ratione et dialogo componere malunt ; ex omnibus rebus, quæ Araucanos affligunt, præcipua et indubitata est egestas, quæ primum in rebus publicis obtinet locum ; reformatio autem constitutionalis de populo fere autonomo, omnino postremum. ❀

1. Hybrida (-æ, m. et f.) ex diversarum gentium parentibus filius (Mart. VII, 22 ; Hor. Serm. I, 7).

2. Sonat fere « maputsie », inde liceat Latine nuncupari Maputsii (-orum).

3. Sonat fere « maieco », inde liceat Latine nuncupari Maiecum (-ii).



# *In hoc fasciculo !*

*Ante quinquaginta annos... [G. Licoppe] p. 1*

*Ad Gaium de Deo capto [V. Jenniges] p. 2*

*In Tartariam (III) [F. Deraedt] p. 9*

*Quomodo sint tirones Latina lingua imbuendi? [S. Berard] p. 11*

*De indigenis Chiliensibus [P. Kangiser] p. 15*



*Imago tegumenti : Robertus Fludd, Utriusque cosmi historia, 1617-1619.*

---

## INSTITVTIO LINGVÆ LATINÆ

a Melissa præbetur omni Mercurii die ab hora 18 ad horam 19.30 in præstanti Museo Domus Erasmianæ (31, rue du Chapitre, 1070 Bruxelles).

Lectiones incohabuntur die 11 m. Octobris.

Si quis plura scire cupit : tel. + 32 (0) 475.47.55.18, g.licoppe@skynet.be

